DE DIFFICULTATE DIAGNOSIM GRAVIDITATIS TUTAM...

Joannes Villalta

DE DIFFICULTATE DIAGNOSIM GRAVIDITATIS TUTAM EFFORMANDI

Dissertatio Inauguralis

QUAM

AD LAUREAM RITE ASSEQUENDAM

PROPONIT

JOANNES VILLALTA

BELLUNENSIS

PATAVII

TYPIS CARTALLIER

MDCCCXXXVII

Stupendo speciei conservationis negotio maxima ex parte dicata mulier, jam ab ipso conceptionis momento, ut cum Richerandio loquar, in omnium solidorum motu, fluidorumque compositione peculiarem, et fere quidem ineffabilem mutationem experitur. Hanc totius organismi alterationem a tam sublimi causa illatam in omnibus mulieris functionibus quodammodo facile intuemur. Peculiarem odorem foeta olet; lac sugens mammas respuit, aut famis impulsu coactus invite labiis carpit, aliaque hujus generis phaenomena animadvertimus quae alibi recensere satius ducimus. Natura, praestantis Physiologi ut verbis utar, grandiori gestationis muneri impensa, caetera spernere videtur, undique signa hoc opus portendentia praebens. Sed quamvis adeo multifariis indiciis se proferat medico graviditas; nihilo secius quantum de hac judicium certum proferre difficultatis habeat, abunde patet ex eo, quod casus haud rari in medicinae fastis re-

570

periantur, ubi viri aliunde celebres, sed creduli fortasse nimis, in errorem ducti sint, et eheu fors humanitati quantum detrimenti intulerunt! Ut igitur dissertatiunculae argumentum sumeretur, de quam plurium graviditatis signorum fallacia sermonem habere placuit. Si muneri meo satisfaciens lectoris contemptum non omnino merebor, nihil amplius mihi desiderandum superest. Neque hic disserere censeo de variis pseudo- gestationis speciebus, neque has cum vera conferre, et earum differentias evolvere. Hoc si agerem, in nimis longum opus, et a scopo alienum pro certo distraherer. Ast peracto vero conceptu, hic tantum quae fallacia, quae parvi sint momenti, quae veluti certiora graviditatis signa habenda breviter ostendam, ne eorum ignorantia opprobrium scientiae afferat.

Inter omnes quae ex obstetriciae artis scriptoribus recensentur graviditatis signorum divisiones, utpote exactior atque perutilis arridet illa, quae dividit signa in *Rationalia* et in *Sensibilia.* —

Rationalia igitur quae primitus adparent, et quorum nonnulla ipso eodemque conceptionis actu, nonnulla autem paullo post se produnt, atque mutationibus innituntur, quas maxime, uterum inter caeterasque corporis partes consentionis gratia, mulieris universalis oeconomia patitur.

Sensibilia vero quorum alia vel sunt *Probabilia* si quatuor primis graviditatis mensibus eveniunt, et a quibusdam inferioris uteri hemisphaerii, ipsius cervicis, atque oris mutationibus, exploratione percipiendis, pendent: vitales uteri proprietates, ut notum est, quum conceptio contingat, exaltantur, excitantur. Hoc viscus mirandum fit centrum peculiaris actionis quae per totam anima-

lem oeconomiam diffunditur, omnesque fere partes uteri potestati submittit; hinc multorum conceptionis signorum fons, sed ut videbimus valdopere inconstans. Vel sunt *Certa* si post quartum mensem sub sensibus cadunt, atque a foetus motubus praecipue ipsiusque regulari usque ad partus evolutionem nec non ab uteri partium mutationibus, per explorationem itidem detegendis, derivantur. Sed inter omnia gestationis signa postrema tantum, nempe *Sensibilia* certa, foeminam in utero prolem gestare nos tutos facere possunt: neque enim quae sensibilia, et probabilia, neque eo minus quae rationalia dicuntur ad graviditatem corfirmandam valebunt. Cujus assertionis veritas ut magis elucescat, ipsorum praecipua a rationalibus incipiendo singillatim examinare juvabit. —

I.

QUANTI RATIONALIA SIGNA FACIENDA?

1) In coitu foecundo majorem consueto voluptatem persentiunt mulieres ad extasim nonnunquam perducentem, quae forsan a majori partium genitalium orgasmo, copiosiorique humorum affluxu, partiumque confinium rigore fit. — Hoc vero signum ad praegnationem statuendam valebit? — Quot mulieres ob nimiam forsan clitoridis sensibilitatem exquisitissimas sensationes sine facta conceptione perceperunt? — Quot e contra matres

fuere, quin peculiarem in coitu expertae fuissent voluptatem, interdum etiam cum abhorrentes ad ipsum cogerentur? Voluptatis sensum varium in mulieribus esse et fallere posse ob conjugum ignorantiam, et foeminarum quarundam sensationis hebetudinem testatur Felix Platerus obs. lib. 1. pag. 260, ubi cujusdam meminit, quae nequidem a primo matrimonialis concubitus actu ullam jucunditatem persensit.

2) Si fertillis coitus fuerit, tremor universalis succedit, languet valdopere foemina, et aegre etiam cogitur ad somnum. Dolor exinde oritur quasi levioris colicae circa umbilicum, abdominis inflatio, spastica tensio et repletio, motus calorque vagans infimo ventre, quam excipit horror totius fere corporis, artuum tremor, insequente levioris frigoris sensu, ventris sensibilitas adeo increscens, ut et ipsae vestis fastidium afferant. Hippocrates sect. V. aph. 41 ad coitum foecundum dignoscendum sequens praebet criterium: « si velis nosse an mulier » conceperit dormiturae aquam mulsam potui da- » to; et si ventris tormina patiatur, concepit: sin » minus non concepit. » Maurieau illum dolorem ita describit, ut quasi sit imi ventris tumultatio non satis exprimenda verbis. Harveum pag. 247. de part. dixisse recordor: totum corpus in consensum trahere conceptionem. — Quid vero de hisce gravidarum symptomatibus sit credendum, quisque facillime concipit, atque videt, dummodo perpendere velit ea ab aliis causis, a nimia mulieris sensi-

litate, ab exaltata imaginatione itidem pendere posse.

3) Post conceptum nausea, vomitu, appetitu prostrato, vel diversimode inordinato laborant mulieres; carnes, alimenta ordinaria, et sana fastidiunt, non communia e contra, uti fructus acerbos, picem, terram, cinerem, carbones, aliaque hujusmodi appetunt, saepe capitis, dentium saepius dolor succedit, tument gingivae, inflammantur, facile sanguinem mittunt, dentes amoventur, halitus foetens evadit, salivae copiosa adest excretio. Oculi languentes, retracti, lividi, turbidi, dolentes fiunt, palpebrae a musculis vix sustinentur atque halone livido, seu flavescente obducuntur. Ipse medicinae parens in libro de sterilitate pag. 123 exposuit: « Praegnantem mulierem, si non aliter, ex hoc » tamen cognosces, quod oculi contracti, et magis » cavi videntur, neque eorum candidam nativam » habet albedinem verum lividius cernitur. » Intumescit guttur; supra corporis superficiem, ac praecipue in facie, inque collo pustulae enascuntur, atque maculae nonnullae, quae ephelides vocantur. — Plurimas vero praeter graviditatem, causas haec omnia phaenomena producere valere summi testantur viri, et inter eos, celeberrimus Zacchias qui Quaest. Medic. Leg. lib. 1. tit. 3 quaest. 1. scriptum reliquit. — « Fallacissimum praegnantiae signum est extranearum rerum appetentia cum » et in non gravidis aliquando reperiatur, (sequitur » enim ad aliquem stomachi aut totius corporis

» morbum) et in gravidis perpetua non sit, sed ad » tertium aut quartum mensem tantummodo per- » duret a secundo incipiens. Neque etiam gravidis » omnibus signum hoc est commune, sed iis prae- » sertim familiare quae vel primiparae sunt, vel in » quibus vitiosi humores cumulantur in ventriculo; » fit enim hoc vitium eodem modo, quo *pica*, seu » *citta*, teste Gal. Comment. aphor. 5. aphor. 61. » Quoad maculas quae in gravidis observantur monuit Hippocrates in lib. de steril. dum ad foetus sexum distinguendum eas dedit; « Quae utero gerentes maculam in facie, veluti ex solis adustione » (Εφηλιν vocant) habent, eae femellam gestant: » quae vero bene coloratae permanent, marem ple- » rumque » Hanc vero simplicem esse assertionem patet ex eo, quod plurimae gravidarum eas maculas non habeant et multae non praegnantes iis maculis deturpentur, praesertim quae aut non debito modo, aut non sufficienter purgantur.

4) Menstruorum deficientia praecipuum habetur graviditatis signum « Si mulieri, ait sect. V. » aphor. 61 maximus Hippocrates, purgationes » non prodeant, neque horrore, neque febre su- » perveniente, ubique fastidia ei accidant, prae- » gnantem esse putato ». Defectum porro menstruorum signum esse praegnantiae fallacissimum novimus, si a multiplicibus causis prodire posse consideremus, atque foeminas nonnullas absque ulla valetudinis noxa, quin utero prolem gestarent, diu tributis mensilibus caruisse.

5) Post menstruorum suppressionem, mammae incrementum, ac duritiem acquirunt, dolorificae evadunt; earumdem venae caeruleo colore conspicuae magis videntur; papilla increscit, turget et fit sensibilior; discus papillam ambiens in latiorem expanditur perypheriam, colore obscuriori notatur, parvisque papillis tegitur; lactis tandem serosi parva quantitas in mammis colligitur et profluit. Aliorum vero ad instar haec omnia in puberibus nil ad graviditatem ponendam nobis certi suppeditare queunt. Si menstrua defecere, nil mirum, manifestae mammas inter et uterum relationis gratia, turgescere ubera, intumescere papillam, areolam extendi. Equidem fallacissimum erit indicium lactis secretio; nam et absque eo quod mulier utero gerat, lac aliquando in mammis illi innascitur, ipse asserente Hippocrate aphor. sect. V. aph. 39. « Si » mulier quae nec praegnans, nec puerpera est, lac » habet, ei menstrua defecerunt » — Signum hocce pariter infirmum reddit quod pluries observatum fuit, etiam in virginibus adhuc virum non expertis vel menstruorum suppressione, vel quacumque alia de caussa, lac colligi posse. Sed quid ultra, si non solum in mulieribus non praegnantibus, verum etiam in virorum mammillis lac apparere interdum consuescat? Hoc vidit Paulus Zacchias, viderunt et alii, ac testatum reliquerunt Aristotiles lib. 1. de hist. anim. Mercurialis de morb. mul. lib. 3., et Schenekius: quin etiam Cardanus aphor. sect. V. aphor. 37 refert testimonio illorum, qui novum or-

bem lustrarunt, viros pene omnes certis quibusdam locis mammam lactis copiam generare.

6) Gradaria pariter abdominis intumescentia praebet argumentum auctoritate prorsus destitutum ad dignoscendum, nunc foemina utero gerat nec ne. Quoties ne hystericae magna ventricositate incedunt miro phaenomenorum lusu comitata, ac si vero a conceptu penderet? Quoties ne balneorum usus Medicos docuit prudentiam, eorumque jactantiam omnium contemptu multarit? Quoties autem ascites ac tympanites graviditatem simulaverint nemo erit qui inficias ibit.

Praeter ea, quae hactenus recensuimus, signa rationalia foeminis fere omnibus communia, extant et alia singulis mulieribus propria. Haec vero quum mere accidentalia interdum sint, saepe saepius ab exaltata imaginatione prolisque desiderio pendeant, nihili a Medico Obstetrico habenda erunt.

Quod si cuncta Rationalia signa, quorum praecipue retulimus Medicum in tutum reddere nequeunt, ut de graviditate judicium certum praebere possit, nunc ne ab illorum deficientia, mulierem in utero nullam ferre prolem asserere poterit? Minime profecto. Quin autem cuncta singillatim repetamus, signum a plerisque veluti certissimum habitum examinemus tantummodo, menstruorum videlicet conditionem. Ex menstruorum apparentia pro certo judicare nequimus, mulierem utero non gerere, cum quaedam praegnantes et praecipue quae valido temperamento sunt praeditae atque nor-

mali in statu copiose purgantur, ad quartum, ad sextum usque mensem perque totam quandoque graviditatis periodum menstruentur. Hujusmodi exempla ab auctoribus, praesertim a Schenekio recensentur, et clarissimus Zacchias refert se mulierem quamdam curasse, quae cum antequam conciperet non bene purgaretur, dehinc utero gerens indesinenter purgabatur. Quin etiam mulierum exempla habentur quae nunquam menstrua viderunt, et tamen conceperunt, aliarumve quae solo graviditatis tempore menstruis purgatae fuerunt. Quibus omnibus concludere licet vanam esse nullae graviditatis assertionem, quae a praesentia catameniorum elicitur.

II.

Quanti sensibilia habenda?

Postquam igitur ex Rationalibus cunctis symptomatibus nihil de gestatione pro certo haberi posse demonstravimus, ad signa quae Sensibilia et Probabilia dicuntur examinanda gradum faciemus.

Primis a conceptione diebus per internam explorationem, ut celeberrimus Levret nobis defert, uteri cervix partibus adjacentibus calidior percipitur, quod a phlogoseos ferme statu in utero post conceptum excitato pendet. Quanto vero pondus tale signum mereatur, sequentes probant observationes:

1. Quum ipsius permansio sit brevis, difficulter perscrutari potest; 2. accidentale prorsus esse potest, vel ab aliquo praesertim ipsius uteri cervicis morbo pendere; 3. interdum penitus deficit, quemadmodum praxis demonstravit, aut non satis sensibilis evadit, licet mulier coitum habuerit foecundum — Orificium uteri clausum conceptionem denotare pro certo habent nonnulli, qui Hippocratis auctoritati innituntur: « quae uterum ferunt, iis » uteri os connivet » sect. V. aphor. 51. — Verum credendum est, Hippocratem explorationem vel nunquam, vel non quantum satis esset exercuisse, et ex hypothesi tantum signum hoc duxisse. Illis enim temporibus putabatur uteri os, virilis spermatis avidum, hians atque apertum extare (quin imo obviam in membro virili descendendo): post conceptionem vero claudi, siti venerea quasi extincta. Ista vero orificii uterini mutatio, signum est praegnationis fallacissimum, aeque ac ipsius deficientia nihil contra eam deponit. Et revera uteri os in virginibus, excepta menstruorum periodo, clausum invenitur, in mulieribus ante conceptionem est clausum et nonnisi forsan coitus foecundi actu, aperitur. Neque e contra uteri apertura clausa est in illis foeminis quae licet praegnantes, ad medium vel ad totum usque graviditatis tempus menstruantur, neque semper est clausa ante et post conceptionem in illis quae partus quam plures ediderunt.

Major uteri cervicis crassities atque mollities

una cum muci glutinosi hasce partes illinientis secretione, quae omnia ab aliquibus tamquam signa graviditatem denotantia habentur, non ne ab aliis praeter gestationem causis produci queunt? non ne prorsus accidentalia vel morbi alicujus et falsae praecipue graviditatis effectum esse possunt? Et hisce deficientibus praegnantem non esse mulierem tuto affirmabitur? Quoties, ne ullo quidem horum symptomatum existente, foetum reapse in utero gestabat mulier, quemadmodum insuper tempus demonstravit?

Posterius oris uteri labium, quod in graviditate crassitie et longitudine crescit, aeque ac alia signum est praegnantiae admodum instabile. Dispositionis enim congenitae, vel falsae graviditatis effectus esse potest. Gardien caeteroquin testatur, quod alii quidem experti sunt, minime veritati consonum esse, uteri cervicem primis a conceptione mensibus illam semper aequabilitatem praeseferre, verum anterius modo labium, modo posterius magis protractum inveniri. In foeminis autem, quae jam saepius pepererunt qualemnam existimationem signi hujuscemodi existentia aut defectus mereri potest, quum nos non lateat, uteri labia propter attenuationem et forsitan lacerationem etiam in repetitis partubus perpessam, inaequalia saepe extare valdeque irregularia? Tale igitur signum, licet mulier non sit praegnans existere potest, et e contra deficere vera reapse graviditate incedente.

Oris uteri rima, quae fere transversalem formam

praebet, in mulieribus praecipue quae nondum conceperunt, primis graviditatis mensibus pene circularis efficitur. Haec oris uteri mutatio a Stein pro certissimo praegnantiae signum habetur, et ait: « Il più sicuro segno però dell' attuale gravi-» danza si è il cangiamento della forma transver-» sale dell' utero in una forma circolare. Questo già » si può riscontrare di buon' ora, e non si trova » peranco che altri l' abbia osservato. Esso vale » non solo per la sola gravidanza, ma seguita ad » esservi anche nelle gravidanze susseguenti, ben-» chè in queste compaja un poco più tardi, e non » in una maniera così del tutto perfetta » (V. Arte Ostetrica di G. G. Stein tradotta da G. B. Monteggia). Ast sua valdopere eum fefellit opinio. In prima enim graviditate tantummodo aliquam mereri potest aestimationem, ne multam quidem, cum et in ipsa valde inconstans sit. Caetero quoties ne in mulieribus quae nunquam pepererunt ipsum os uteri circularem figuram habens reperitur? Menstruorum accedente periodo juxta Osiander, aliorumque observationem uteri cervix formam acquirit fere rotundam, ipsiusque orificium ideo figuram assumit circularem, quam tota menstruationis periodo, et binis tribusve diebus elapsis conservat. In mulieribus autem, quae jam pluries ediderunt, talem tantamque os uteri saepe saepius alterationem patitur, ut notae hujusmodi praesentia vel defectus facile Medicum in errorem ducat, qui in judicio de graviditate proferendo alterutri fidem ha-

beri velit. Falso quidem autumat ipse Stein, aeque tutum praegnantiae signum evadere mollem atque hemisphaericum tumorem, qui in anteriori uteri hemisphaerii inferioris pariete percipitur: hunc enim tam accidentalis caussa, quam uteri morbus, vel ovarii, ac speciatim falsa graviditas producere valent, atque interdum utero etiam praegnante deesse potest.

In secundo a conceptione mense, eoque magis prope tertium uterus in pelvim descendit, ejusque cervix in vaginam paullulum detruditur, atque commodius explorantis tactui se profert, ita ut partes, quae antea deprehendi non poterant, hac gestationis epocha facillime persentiantur. Hoc signum vero, quod tutum primitus videri posset, pro tali a Medico Obstetrico nunquam erit considerandum. Et revera non omnibus foeminis eadem est uteri cervicis naturalis a vulvae ostio distantia, nonnullis longior, aliis vero brevior. Praeterea falsa graviditas, uterique prolapsus orificium hujus visceris secum trahens, hydrops vel tympanitis uterum deorsum premens, aliaeque morbosae affectiones, huic phaenomeno locum praebere possunt. Itidem ipsius defectus ad graviditatem excludendam nihil prorsus valebit, quum mulier ob vaginae longitudinem majorem, proindeque altiorem uteri cervicis positionem, etiamsi praegnans, tale signum nequeat praeseferre.

Hae vero omnes, quas enumeravimus, uteri mutationes tot sunt graviditatis probabilia signa,

quae etiam si externae internaeque explorationis ope diu ac bene exercitae cognoscere pares essemus, attamen non adhuc per se possent sufficere ad judicium verae graviditatis subministrandum minime dubium: possunt enim pariter accidere ex apparenti vel falso conceptu.

III.

DANTUR NE CERTA GRAVIDITATIS SIGNA?

In tanto igitur ambagioso argumento, quaenam Medicum tute ducent indicia ad nodum solvendum? Haec sunt motus quos foetus utero peragit, materque, Obstetricusque persentiunt. Hos motus in illos dividimus, quos *ipse foetus exercet* membra porrigendo, vel contrahendo, atque in illos quos ipso in foetu *mater motibus suis vel arte Medicus* suscitat.

Primi invita matre peracti ad quartum usque mensem communiter desiderantur. Hi dum incipiunt non tantum graviditatem, sed etiam vitam foetus indubiam declarant. Sed hos quoque defuisse in quibusdam, sat raro quidem, utero gerentibus mulieribus medica historia demonstrat. Quum vero resupinatae matris abdomini improviso gelidas imponimus manus, facile hac ratione foetus motus excitatos accipimus, neque hucusque scio an unquam prudenti perito hoc experimentum inutile evaserit.

Alteri (quos si Obstetricus arte elicit, italico idiomate *moti di ballottamento* vocamus) quinto a conceptione mense, et inde in scenam veniunt, alterum graviditatis indubium signum efformantes. Nequeunt enim sic utero excitari nisi a corpore quodam aquis mobili, natantique, ut procul dubio foetus est. Ast dum hi motus desiderantur adhuc, dum neque mater, neque Obstetricus ullo modo eos persentire possunt, argumentabimur ne, mulierem minime utero gerere, etiamsi jam quartus a conceptione mensis excurrat? Adsunt causae a peritis bene cognitae quae hos motus impedire queunt.

Sicuti enim aquarum foetum circumluentium copia exuberans, motus ipsius vel obtusos, vel plane insensibiles reddit, ita et ipsa aquarum penuria eosdem producit effectus. Id pariter accidit si uterus duos continet foetus. Non ne insuper impossibile erit, hos dispicere motus si cum foetu aliqua poliposa, aliusve generis massa quaevis in utero concrescat? Ergo motuum absentia neutiquam potis est ad excludendam graviditatem, licet existentia eorumdem graviditatem extra omnem dubitationem ponat.

En igitur, ut mihi videtur meam demonstratam thesim: difficillimum esse certam graviditatis diagnosim efficere? Nam praecipuis rationalibus, et probabilibus praegnantiae signis rite perpensis multis aliis non adeo spectabilibus omissis, clarissime patet, nil prorsus haec haberi debere; foetusque motus tantummodo, nec solum generales, sed et

speciales, neque a matre tantum testatos, sed et a Medico per experimenta recognitos, considerandos esse ut unica verae graviditatis indicia.

Cum igitur res ita sint, sciant Medici non esse fortasse aliud majoris momenti argumentum, quod prae isto scientiam, ac prudentiam sibi deposcat. Et revera non ne insonti puellae honorem, spem conjugi ob sterilitatem contemptae, unicuique civilia jura vendicare probrisque meritas tribuere poenas potis erit, qui ex prudentia scientiaque graviditatis omnia perpendat signa? Bienni sponsae tumet venter, alia in scenam veniunt phaenomena quae simul imperitum, praecipitemque medicum decipiunt. Jactat non foetum, sed aquas in utero gestare; multa praescribit incassum. Tandem balnea veluti extremum remedium suadet. Ter in balneum desilit; mirum! parit. Contra vecordem, curam foetus matrisque habuere dii. Plura autem de his lubenter silentio involvo. Extant veterum, extant recentiorum historiae, ubi medicorum dedecoris, vel quod pejus fuit, noxiae late patent exempla.

DANTUR NE ALIA SIGNA CERTA GRAVIDITATIS?

Ista habemus signa a stethoscopii ope, ex exploratione per tactum, et e signis, quae nobis offert speculum uteri.

Signum certissimum (ubi apte adhibeatur ab exercitato observatore) e stethoscopio depromi-

mus, si supra ventrem praegnantis illud ponimus, et auscultationem instituimus; tunc, si adest vera graviditas, funiculi umbilicalis, et foetus cordis pulsatio, nec non placentalis susurrus clare nobis patet, et ista signa, si mulier non gestat, nunquam dantur. Debet tamen exploratio saepius institui, et tantum post dimidium graviditatis certitudo inde exspectari. Ergo de his signis, eadem fere valent, quae de signis sensilibus certis, serius tantum comparentibus, supra dicebamus.

Aliud signum habemus ex exploratione per tactum in ultimis mensibus graviditatis, quia si mulier in utero foetum tenet, ope istius exploratione persentitur facile pars, quae foetus orificio uteri incumbit.

Signa certissima dat etiam speculum uteri, sed tantum sub ipso partus labore, ut mihi dixerunt, qui usi sunt istrumento isto. (Istud experimentum non institui). Haec sunt signa, quae mihi videtur esse certissima; praeter haec difficillime tutam graviditatis diagnosim efformare possimus.